



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 77. Anxius Elisabethæ animus circa articulum de Supremo Ecclesiæ
Capite.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.

§. LXXVII.

A. C. 1559.Anxius Elisabethæ animus circa articulum de supremo Ecclesiæ Capite.Burnet
p. 558.
Es 571.

Porro caput de Primatu Ecclesiæ in reformatione Anglicana tam immodice extendebatur, ut Elisabetha hunc articulum comprobare, sibi Religioni duceret, ac summopere abhorreret, quod mulier supremum Ecclesiæ caput, primaque potestatis Pastoralis origo censeatur, cum tamen ob sexus sui conditionem ejusmodi muneris omnino incapax sit: quapropter hujus rei abominatio tandem manifestum reddebat, ad quam insulsa dogmata spurii hi Reformatores prolapsi fuerint: quinimo ipsammet Regina sese immodicæ huic novitati opponerebat, remque prorsus risu dignam animadverterebat, cum vero, ne tanta prærogativa semetipsam spoliaret, e re sua fore, aut saltem hunc titulum semper conservari, humanæ prudentiæ jura deponere existimaret, hinc prævalentibus hisce rationibus aurem occludebat omnibus aliis argumentis, propter quæ hanc usurpationem abominari, aliunde permovebatur. Itaque non modo titulum supremi Ecclesiæ Capitis acceptabat, sed etiam illius munia, quantum poterat, exercebat, sub alio licet nomine

mine, quod idem ac *Caput Ecclesiae* Sæcul. XVI.
A.C. 1559.
significabat. Præterea promulgato Senatus edicto ecclesiastici Primatus dignitas Regiæ auctoritati fuit attributa, simulque declaratum, quod Ecclesiasticos visitandi, Ecclesiae abusus corrigendi, ac reformandi jus perpetua lege Regiæ potestati sit annexum, nullusque unquam publicum munus, five sit civile, five militare, vel Ecclesiasticum, exercere valeat, nisi prius addita juramenti Religione profiteatur, quod Regina in omnibus causis tam sæcularibus, quam Ecclesiasticis per universum Angliæ regnum suprema sit Ecclesiae Administratrix. Ecce tandem! ad quam risu dignum nomen Elisabethæ anxietas redigebatur; in nullo enim puncto Henrici VIII. leges moderabatur, nisi quod subditi contentam in *Primatus*, uti vocant, *juramento* supremi capitis prærogativam haud amplius profiteri adstringerentur, cum tamen regnante Henrico VIII. capitis poena imposita fuisset illis, qui hoc juramentum præstare recusarent, nunc vero sub Elisabetha duntaxat bonis spoliarentur. Hanc insulam immutationem Reginæ a quodam celebri Protestantium Ministro nomine Levero fuisse suggestam, referunt Scriptores.